



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,
ex Eusebio Cæsariensi ...**

Eusebius <Caesariensis>

Haer. Chr. Egen., 1571

VD16 E 4284

M. Albertvs Lenicervs, scholæ Lunæburg ad S. Iohannem Rector, ad
eundem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

AD CLARISSIMUM VIRVM D.
 Lucam Lofsium, Socerum sibi deuin-
 ctiss. M. Thomas Mauër, scholæ
 Lunæburg. ad D. Michaëlem
 Rector.

*A*sfidui studio Luca celebrate laboris,
 Atq; socer nobis patris amande loco
 Quem tua transmisit nuper mihi Musa libellum,
 Hoc iterum studijs tempore trado tuis.
 Magna fuit nobis hunc perlegisse voluptas,
 Qui multum referens vtilitatis habet.
 Nam veterum historias et dicta notanda recenset,
 Et quos primæuus Martyras orbis habet.
 Omnia quæ studio tibi sunt collecta fideli,
 Et veterum sanctis enucleata libris.
 Ac licet ampullas & sesquipedalia verba
 Fortè poëtarum maxima turba probet:
 Quæ tantum vacuas titillant suauiter aures,
 Grandibus & feriunt pectora vana sonis:
 Tu tamen ingenua cum simplicitate mereris
 Præmia, grandiloquis vtiliora canens.

M. ALBERTVS LENICERVS,
 scholæ Lunæburg. ad S. Iohan-
 nem Rector, ad eundem.

*S*alue care Deo, salue vir care Camænis,
 O Lofsi, nostra lausq; decusq; scholæ.

Qui

Qui septem teneram docuisti lustra iuuentam,
 Hic vbi Phœbæ cernitur vrbis honor.
 Ac ita τοῖς ᾠαῖσι te χεῖσιμα πόλλα loquentē,
 Audyt Aonijs turba dicata choris.
 Est aliquid, mundus quantumuis negligat illud,
 In studijs multos erudisse bonis.
 Et plantasse Deo cœlos, fundasseq; terræ
 Regna, quibus mundi germinat omne decus.
 Negligat hoc quãuis, cui nil sapit, improba Momē
 Nausea, veriloquus curat at ipse Deus.
 Qui propria instituit doctrinæ munera vitæ,
 Et seruat pueros, cum puerisq; scholas.
 Huic studium, huic nostri famuletur cura laboris,
 Seruiat huic quicquid nostra Minerua facit.
 O felix quicumq; Deo sic seruit, vt inde
 Crescat & exurgat gloria vera Dei.
 Sed ne quo desis studio curaq; iuuentæ,
 Care senex, Musis vtile nectis opus.
 Grata Deo tua Musa canit, nec ludit ineptis,
 Vt plerunq; facit turba proterua, iocis.
 Te iuuat ad sacros animum conuertere fontes,
 Historias veterum te celebrare iuuat.
 Scribite doctiloqui subtilia carmina vates,
 Fictitijs laudat pagina vestræ modis.
 Lasciuos numeros lasciuæ licentia cantet,
 Nata Deo dicat carmina Musa Deo.
 Ergo sincera lector pietatis amator,
 Hæc animo Lofsi perlege scripta bono.

Perlege scripta tuo decores q̄ hac ipsa fauore,
 Perlege Christigenis scripta probanda viris.
 Perlege quicquid habet liber hic, lectus q̄ placebit,
 Et te qua profint multa monere potest.
 Secula prisca tibi veterum q̄ insignia dicta,
 Quæ q̄ iuuent alias suppeditabit opes.
 Lofsus Aonijs viuat valeat q̄ Camœnis,
 Ut q̄ facit Musis, seruiat atq̄ Deo.
 Seruiat, vt seruit, multos q̄ vt seruijt annos,
 Grata Deo scribens, grata Deo q̄ canens.

IN HISTORIAS EVSEBIA-
 nas Lucæ Lofsij,

Si sacras libet historias tibi discere, paucis
 Versibus inclusas hæc, pie lector, habes,
 Quæ benè de studijs meritis docili q̄ iuuenta
 Lofsus assidua sedulitate dedit.
 Sit felix bonus ille senex longo q̄ superstes
 Tempore, non capitis sentiat ille niues.
 Quin viridis semper florens q̄ senilibus annis,
 More suo latos transigat ille dies.
 Discipulos q̄ sibi gratos, fructus q̄ laborum
 Cernat apud ciues, inclyta Luna, tuos.
 Quin et apud reliquos, vt nunc celebretur, & olim
 A sera laudem posteritate ferat.

Nathan Chytraus Rostochij poë-
 tices professor.

HISTO-